SCIPIONI BURGHESIO S.R.E. CARDINALI POENITENTIARIO, MAGNI AUUNCULI...

Ferrante Carlo Gianfattori, Valenti Gonzaga



Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Magist. Sacr. Palat. Apostol.

P. Episc. de Curte Vicesg.


Imprimatur.

Fr. Ignatius Ciantes Romanus Lector, & Reuerendissimi P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sac. Apost. Pal. Mag. Socius, Ord. Præd.

SERMO DE DEO TRINO, ET VNO,

AD PAVLVM V. PONT. OPT. MAX.

IN SACELLO QVIRINALI A FERDINANDO CAROLO HABITVS.





EVM, quem vniuersi natura prædicat vnum, trinum etiam eximio diuinæ largitatis munere (Beatissime Pater) agnoſcimus, & veneramur. Qui enim ſoli ſibi notus fuerat in omni æternitate Deus, is præfinita in plenitudine temporum mortalem naturam in æternæ diuinitatis vnionem aſſumens, & verſatus cum filijs hominum ſummæ Deitatis arcanum tunc patefecit, cum præcepit vt gentes omnes in Patris,

& Filij, & Spiritus ſancti nomine, ſalutati fonte proluerentur. Quo in vno quam multa, quam magna referantur arcana myſterio? ſiuè enim ad Patrem illum me conuertam, à quo, & ... , & nominatur omnis in cælo, & in terra paternitas; ſiuè Filium intuear, veram illius ſubſtantiæ imaginem, & claritatis æternæ figuram; ſiuè in Spiritum ſanctum; vberem illum amorem, quo Pater, & Filius ſe inuicem infinitè diligunt; mentis aciem defigam; hæreo tantarum obrutus rerum pondere, & copia. Audio nomen vnum in quo ſacra nos vnda perfundat non plura; plures tamen in quarum nomine abluamur, proponuntur perſonæ, non vna. Sublimis namquè illa, excellensquè Natura, cuius numine ſumus, in cuius nomine ſaluamur, & fide, in trina hypoſtaſi, vna, & tota ſubſiſtit. Cum enim Deus ſit mens ſimpliciſſima, ſe ipſum in æternitate impermutabili ſemper intelligit, ideoq. notitiam, & imaginem ſui abſolutiſſimam ſemper concipit, & generat; quam iure meritò Dei Filium dicimus, quia per opus Diuini intellectus illa præſtans imago, non vt ſimulacrum in ſpeculo, ſed viuens à viuente coniuncto principio procedit, non modo in eiuſdem naturæ ſimilitudinem, ſed in eiuſdem ſubſtantiæ vnitatem. Quæ quidem viuens imago viuentem omni ex parte cum referat Patrem, illum ſuauiſſimè allicit in amorem ſui, mutuoquè illius amore exardeſcit; ſicquè cum ipſo Patre producit Amorem illum infinitum, qui non eſt habitus, non eſt aliqua diuinæ mentis affectio, ſed ipſa mens diuina, diuina ipſa natura in illo amore infinito ſubſiſtens, vnus idem cum Patre, vnus

idem

idem cum Filio Deus, quem Spiritum rectè vocamus, cum sit diuinæ voluntatis impulsus. Trinus igitur & vnus ità nobis monstratur Deus, ut cum plures in natura diuina sint hypostases, ipsa [illegible] indiuisa permaneat, & nulla sit in vnitate confusio, [illegible] sit in pluralitate diuersitas; pluribus enim personis Deitas ipsa conueniens, nihil in admiranda illa pluralitate [illegible]stituit in Deo mistū, vel à Deo separatum. Alius namque [illegible] Filius à Patre, à quo solo ante omne tempus est ineffabili ratione progenitus, & alius ab vtroquè Spiritus, à quibus tamquam ab vno spirante principio procedit, Trinitatem illam vnam constituunt, & trinam vnitatem beatissimam, nulla solitudine conclusam, sed triumphantem in vno, perfectissimoquè trium personarum consortio. In quo ità eminet ordo pulcherrimus, nullus vt ibi possit excogitari naturæ gradus, nulla præcessio temporis, dissimilitudo nulla dignitatis; &, cum Pater, & Filius sint in altero, Spiritus verò sanctus in vtroquè, eadem tamen Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti persona esse non valeat, cætera tamen omnia; præter originem, atque processum, & quæcumque comparationem quandam præ se ferunt; in ipsa natura diuina non modo paria, sed eadem esse omninò reperiantur. Pater principium sine principio, fons, & origo totius Deitatis, neque tamen Filio, aut Spiritu sancto prior tempore, aut virtute potior; Filius ipse principium ex principio, lumen, verbum Patris, neque tamē Patris æternitate, vel præstantia posterior, aut minor, ideoquè par, & æqualis Patri, illique sine vlla permixtione coniunctissimus; Spiritus sanctus amor, ignis, & donum ab vtroquè proueniens; neutri

tri tamen vel temp[illegible]e, vel dignitate concedens, ità vtrique intimus, pro[illegible] vnus exiſtat Deus cum vtroque. Cum enim ſit eade[illegible]o voluntas, & eſſentia, Spiritus etiam ſanctus eſt [illegible] eadem cum Patre, Filioquè Deitas, & ſubſtantia. [illegible] tres ſint immenſitate, æternitate, tres eadem virtute pares, immenſus tamen rerum Creator, æternus, [illegible] omnipotens Vniuerſi molitor eſt vnus, qui continen[illegible] vniuerſa non continetur, excedens non excluditur; qui, cum ſit vnitas, & numerus, vnum, & omnia, & in ſeipſo, & omnium, & ante omnia, nulla creatarum ſimilitudine rerum appoſitè ſatis exprimitur, nullis ſcripturarum figuris apertè declaratur; cuius explicando nomini, quod eſt admirabile, par nulla reperiri poteſt mortalis oratio, cuius à ſummo cælo egredientis, & ſuper ventorum pennas ambulantis veſtigia, ſenſus omnis explorare ſe poſſe deſperat; cuius lumen clara nube, & flammanti caligine circumſeptum imbecilla mortalis cogitationis acies perferre, aut angelicæ mentis oculus, niſi lumine gloriæ ſuffultus, non valet attingere. O miram igitur diuinæ charitatis munificentiam, hominum linguis, & Angelorum perpetuò prædicandam, quæ ſtultam gentium doctrinam arcens à ſuorum contemplatione magnalium, ſapientiæ ſuæ vias; ipſo diuino docente verbo; nobis aperuit; quæ diuitiarum ſuarum theſauros effundens in Filios adoptionis, infantium ora ſuas in laudes inſtruit; cum tamen ſolus ſeipſum infinitus Deus infinitum bonum comprehendens, ſuæ ipſius magnitudini, atque præſtantiæ enarrandæ ſufficiat, ac prædicandę; quę nos in penitiſsimũ inacceſſæ lucis ſuæ

ſinum